

2005 TSJCL Sight Recitation Level III

Cicero extols the virtues of literature, which gives rise to right action.

Quae sī cui levior vidētur, illa quidem certē quae summa sunt ex quō fonte hauriam sentiō. Nam nisi multōrum praeceptīs multisque litterīs mihi ab adulēscientiā suāsissem nihil esse in vitā magnōpere expetendum nisi laudem atque honestātem, in eā autem persequendā omnēs cruciātūs corporis, omnia perīcula mortis atque exilī parvī esse dūcenda, numquam mē prō salūte vestrā in tot ac tantās dīmiciātōnēs atque in hōs prōflīgātōrum hominum cotīdiānōs impetūs obiēcissem. Sed plēnī omnēs sunt librī, plēnae sapientium vōcēs, plēna exemplōrum vetustās; quae iacērent in tenebrīs omnia, nisi litterārum lūmen accēderet. Quam multās nōbīs imāginēs, nōn solum ad intuendum vērū etiam ad imitandum, fortissimōrum virōrum expressās scriptōrēs et Graecī et Latīnī reliquērunt! Quās ego mihi semper administrandā rē pūblicā prōpōnēns animum et mentem meam ipsā cōgitātiōne hominum excellentium cōfōrmābam.